



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Sect. IV. Primum & præcipuum argumentum contendens peccatum
commissum cum invincibili Dei ignorantia esse mortale.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

quenter non baptizatus defectu intentionis, quod hi auctores cum communi negant.

VII. *Homo mortalis quoad animam non est homo.*
Dices: in hoc casu Sacerdos intendit baptizare hunc hominem; ergo intentio recta est & sufficiens. Contra si responso illa adversariorum sit vera, non intendit hic Sacerdos baptizare hominem, ergo non hunc hominem: antecedens probatur, homo mortalis quoad animam non est magis homo quam Deus cui non displicent mala est Deus. Idem est de Judæis negantibus Trinitatem, qui tamen cognoscebant verum Deum, & sexcenta hujusmodi; ergo omnes fateri debent errorem circa unum aliquod prædicatum, si alia relinquat integra cum vero eorum conceptu, non impedire quo minus res aliqua adhuc & cognosci, & amari possit. Actus itaque amoris in hoc casu non fundatur in errore illo, sed in negatione verarum Dei perfectionum, respectu verò actus amoris, error ille merè se habet concomitantè & disparatè, nec tollit alia Dei prædicata.

Error circa unicum prædicatum non impedit cognitionem & amorem castorum.

SECTIO QUARTA.

Primum & præcipuum argumentum contendens peccatum commissum cum invincibili Dei ignorantia esse mortale.

I. *Obj. Multa juxta nos scelera committi, quæ non erunt peccata mortalia.*
OBICIENS primò: ex nostrâ sententiâ sequi, multa in dies scelera committi, furta, homicidia, &c. quæ tamen juxta nos non sunt peccata mortalia, fieri enim possunt vel ab omnino ignorantibus Deum, vel à non advertentibus ad ejus offensam, sed solum ad deordinationem contra rationem naturalem.

II. *Resp. Fideles rarissime hujusmodi aliquid facerent sine aliqua saltem advertentia ad Deum.*
Respondetur negando sequelam; ad probationem quoad secundam partem dico, raro contingere, inter fideles præsertim, ut quis deliberatè hujusmodi aliquid perpetret sine advertentiâ aliqua ad Deum, confuso saltem modo; unde & timent pœnas sibi ab eo infligendas: sicut quando conjugatus aut votum habens castitatis, peccat contra castitatem non solet eos confessarius interrogare, utrum tunc attenderint ad votum, vel conjugium, quia supponuntur aliquo saltem modo semper ad ea attendisse: quod à fortiori sequitur de circumstantiâ advertentiâ ad Deum.

III. *In nullo adulto inter infideles datur ignorantia invincibilis Dei.*
Quoad infideles affirmant plurimi, in nullo homine adulto dari invincibilem ignorantiam Dei, ita Abulensis, Lyranus, Altisorodensis, & alii quos citat & sequitur P. Granada 1. p. d. 1. sect. 3. Idem docet Gonzalez, Curiel, & favet Vasquez 1. p. d. 19. tenet etiam Coniack de Fide, d. 18. num. 12. ubi ait neminem posse longo tempore postquam ad usum rationis pervenit, Deum invincibiliter ignorare, ubi Sanchez & alios pro eodem adducit. Hoc etiam supra, Disp. 2. sect. 2. & 3. latè probavi, & hic in ejusdem declarationem nonnulla adducam.

IV. *Favè ostenditur non posse dari ignorantiam invincibilem Dei.*
In primis itaque ostendi id videtur ex illo Job 36. Omnes homines vident eum, nempe Deum, & unusquisque intruetur procul; quem locum explicant passim sancti Patres de naturali cognitione Dei. Unde S. Gregorius in hunc locum ait unumquemque eo ipso quòd rationalis conditus est, debere Deum cognoscere: & S. Hieronymus ibidem, Unusquisque mortalium, inquit, licet de longè, sentit & intelligit Deum. Tandem ut alios omittam. S. Da-

mascenus lib. 1. Fidei, cap. 1. Nemo, inquit, est mortalium, cui non naturaliter insitum sit, ut Deum esse perspectum habeat. Ex quibus constat communem hanc fuisse vocem sanctorum Patrum: unde etiam Sapientiæ 13. arguuntur illi, qui ex creaturarum cognitione in Dei notitiam non pervenerint.

Quare ad id quod Pater Molina primâ parte ad articulum primum quæstionis 2. nobis hac in re oppositus assert, compertum scilicet esse incolas Brasilia nullam omnino Dei cognitionem habuisse, intelligendum id ait P. Granada de cognitione aliqua clarâ, non tamen de dubiâ, quod sufficit ut ignorantia non sit invincibilis. Quæ confirmantur ex eo quod supra vidimus ex S. Thoma 1. 2. q. 89. art. 6. ad 3. ubi ait puerum, statim postquam pervenit ad usum rationis, teneri se ad Deum convertere, & de hoc explicat præceptum illud affirmativum Dei, quo dicit Zachariæ 1. v. 3. Convertimini ad me, & ego convertar ad vos; ex quo aperte sequitur existimasse sanctum Thomam, non posse quemquam diu latere Dei existentiam.

V. *Nullus unquam homo, vel natio fuit, cui Deus aliquo modo non innotuerit.*

SECTIO QUINTA.

Solutione alterius argumenti magis ostenditur peccatum ab invincibiliter ignorante Deum admissum, non esse lethale.

OBICIENS secundò: si non sit peccatum mortale committere furtum exempli gratiâ, vel homicidium sine advertentiâ Dei, cum solâ advertentiâ ad rationem, ergo nec erit peccatum mortale id ipsum præstare cum advertentiâ ad Deum; si enim factum cum advertentiâ ad solam rationem displiceat Deo tantum leviter, non displicebit ei nisi leviter, factum cum advertentiâ Dei; facere siquidem id, quod scis leviter tantum alicui displicere, non potest ei displicere graviter, ergo nec potest homicidium, etiam cum cognitione Dei factum, esse peccatum mortale.

I. *Dices: Hinc sequi homicidium, aut aliud hujusmodi, etiam cum cognitione Dei factum, non esse mortale.*

At sanè existimo hoc nec inter homines tenere: si namque Petrus exempli causa, furatus fuisset, vel occidisset equum amici sui Pauli, nesciens esse equum ipsius, alioqui id non facturus, licet materiale malitiam habeat actus respectu Pauli, sitque contra rectâ rationem, non tamen est quid grave contra Paulum formaliter, nec rescissionem amicitie inter illos meretur, cum stare hic actus possit cum perfectò amore erga amicum. Si tamen sciens esse equum Pauli hoc faceret, peccaret graviter contra amicum, & mereretur rescissionem amicitie; hic tamen nihil aliud accessit præter meram notitiam, quòd sit equus Pauli, ergo id quod sine notitiâ rei spectantis ad amicum, displicet ei solum leviter, factum cum hac notitiâ displicere potest graviter: Idem ergo est in præfenti.

II. *Offenditur diversam esse rationem de re aliqua cum & sine cognitione amici facta.*

Dices: si ergo quis leve tantum aliquod peccatum admittat, dicat v. g. mendacium jocosum, ignorans displicere Deo, si postea idem præstet cum advertentiâ divinæ displicentiæ, peccabit mortaliter: patet consequentia; id siquidem secundum nos, quod antecedenter ad advertentiam divinæ displicentiæ offendit tantum leviter, illâ positâ

III. *Dices: ergo res levis cum cognitione displicentiæ divinæ facta erit gravis peccatum.*